



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.27. Mahadi e vivis abit. Musa & Aaron Califæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

gationem suscipere, quod illi nec lit-
 teras dare nec recipere in his causis tu-
 to possent. Nempe Joannes Vicarius esse
 jubebatur Theodoret Patriarchæ Mel-
 chitæ Antiocheni, successoris Theodori,
 qui Theophylacto successerat, & Eliæ Pa-
 triarchæ Jerosolymitani. Thomas vero
 Legatus & Vicarius mittebatur Politia-
 ni Patriarchæ Melchitæ Alexandrini, qui
 Cosmo successerat. Sed cum subscribe-
 rent, unusquisque se Vicarium trium Se-
 dium Apostolicarum in Oriente dicebat.
 Cum tandem obedirent, eos Legati Con-
 stantinopolitani, postquam inter mutuas
 lacrymas & preces dilectissimis Fratri-
 bus valedixissent, latissimi viæ comites
 acceperunt.

§. XXVII.

*Mahadi e vivis abit. Muza, & Aaron
 Califæ.*

Gens Musulmannorum, illa tempestate
 Christianorum terror, novos Domi-
 nos venerari duorum fati coacta est;
 quippe Califæ Mahadi anno Hegiræ 169.
 vigesimo secundo die Moharram, id est,
 quarto Sept. anno 785. defuncto succes-
 serat filius Moyse seu Muza, cognomen-
 to Alhadi, qui vix quindecim mensibus
 expletis die Veneris vigesimo quarto se-
 cundi Rabi, anno 170. id est, vigesimo
 nono Dec. anno Christi 786. e vita mi-
 gravit.

Hist. Eccles. Tom. X.

Ff

gra-

Sæcul. VIII.
 A.C. 785.

*vit. S. Taras.
 c. 5. Eutyph.
 to. 2. p. 411.
 p. 399. Conc.
 7. p. 323.*

Sæcul. VIII. gravit. Ei successit Frater, Aaron seu
A. C. 785. Haron nomine, cognomento Rachid,

Elmac. c. 5. Mahadi filius, qui annis plusquam viginti tribus imperavit, rerum gestarum fama Antecessorum suorum nulli secundus.

Elmac. p. 120. Religioni Musulmannorum addictissimus singulis diebus centies genua flectere solebat, & mille drachmas in pauperes erogabat. Ipse Califarum ultimus Meccam profectus legitur, quod iter sæpius suscepit, & quibus annis suscipere non poterat, trecentis de plebe peregrinis illo ituris omnia necessaria suppeditabat.

Theoph. an. 6. p. 389. Cum in Secta Mahometis esset religiosissimus, non est mirandi locus, quod pessime habuerit Christianos, præsertim Melchitas, Musulmannis semper præ ceteris invisos. Quod ad Jacobitas spectat, Michael eorum Patriarcha anno Christi 762. Hegiræ 145. decedens Successorem habuit Menam, qui Sedem

Elmac. p. 105. annis novem tenuit. Huic successit Johannes primo anno Regni *Hardi*, decimo sexto die mensis Ægyptii *Tuba*, id est, undecimo Januarii anno 786. ordinatus. Cumque sedem tenuisset annis tredecim,

Elmac. p. 3. die eodem, anno Diocletiani 515. Jesu
Chr. Orient. p. 107. Christi 799. naturæ debitum solvit. Ipso sedente pace fruebatur Ecclesia, & idem a largitate eleemosinarum, præsertim cum aliquando Alexandrini annonæ caritate laborarent, commendatur. Antiochiæ

Antiochiæ defuncto Davide, vi intruso, cum Sæcul. VIII.
 Georgius decennio in carcere detentus A. C. 786.
 Cathedram Patriarchalem Jacobitarum
 denuo conscendisset, Epistolam suam Syn-
 odicam ad Joannem Alexandrinum mi-
 sit, accepitque responsum. Georgio
 etiam fatis functo, Cyriacus Patriarcha
 Antiochenus Jacobitarum ordinatus, &
 ipse epistolam Synodicam ad Joannem
 Alexandrinum misit, qui eam lætus re-
 cepit.

§. XXVIII.

*Initium Concilii Constantinopoli-
 tani.*

Epistolis, quibus Concilium nomine
 Constantini & Irenis convocabatur, Theoph. an. 6. p. 389.
 ad omnes Episcopos sub ipsorum Imperio
 degentes transmissis, illi Constantino-
 polim se contulerunt, quo etiam Legati
 Papæ, & Patriarcharum Orientalium eo-
 dem tempore pervenerunt. Porro Im-
 peratore & Imperatrice tunc temporis
 extra Constantinopolim in Thracia ver-
 santibus, Episcopi Iconoclastarum Hæ- Conc. to. 7. p. 526.
 resi infecti, eo ipso audaciores, cum præ-
 terea majores numero essent, & a multis
 Laicorum incitarentur, publice dicebant;
 inhærendum esse Decreto, quo Imagines
 damnatæ fuissent, nec tolerandum, ut
 Res ista in Concilio iterum ageretur.
 De Tarasii Patriarchæ factis quoque mul-